



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus IV. Redemptio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS III. RECREATIO.

Erat autem populus iucundus secundum faciem Sanctorum. Judith. 16. 24. hoc est, ad modum, quo gaudere sancti solent: qui, cum oblectationem aliquam capiunt, modestiæ regulam, temperantiæ perpendicularum, cautionis normam, frugalitatis frantum, attentionis lineam, semper ad manum habent: ad quam relaxationis suæ suavitatem exigant. Did. Nils. Pol. Cœl. p. 1. l. 7. c. 7.

Cantate Domino canticum novum. Psal. 97. 1. & v. 4. *Cantate, & exultate, & psallite.* Quid est cantare Domino? servire, gratificari. In cantu dantur pauas: lassabit continuus concentus, & tenor. Fieri non potest, ut perpetuò quis oret, aut corpus flagellet; aut, tanquam mutus, nunquam loquatur; aut omnes jejundet dies. Est hic nimis altus tonus. Id. ib.

Hortus conclusus Sorex mea. Cant. 4. 12. Sim. Cæf. l. 13. c. 8. in Evang. sunt deliciæ Paganorum, & Infidelium; sed non conclusæ: sunt deliciæ peccatorum; sed non conclusæ: sunt verorum Christianorum; sed conclusæ. Deliciæ Christianorum certos fines habent, certis limitibus concluduntur. In cursibus daemonum patet, qui non stat in horto concluso.

Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Marc. 6. 31. Pius Magister, ac Dominus, Discipulorum labori, & fationi compassus, concessit eis respirationem, recreationem, & quietem: veruntamen non magnam, nec longam; sed brevem & modicam: ostendens, non diu cessandum esse ab opere bono; nec ultra necessitatem indulgendum esse corporali quieti: sed usque in finem invictò animò perseverandum esse in opere virtuosò. Dion. Carthuf. hic.

Iesus fatigatus ex itinere sedebat super fontem. Joan. 4. 6. Instruit te, quid agere debeas, cum à labore desillis, & qualis sit recreatio appetenda. Neq; enim, si diutius laborare nequeas, docet intendere fabulis, aut somnò delectari: sed quid? super fontem sedeas, solatium Spiritus quæras: Scripturæ sanctæ fluentis intende. Thom. Kemp. conc. 19.

Gaudete in Domino semper. Philipp. 4. 4. *modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* v. 5. S. Thom. Aqu. hic: ita sit moderatum gaudium nostrum, quod non vertatur in dissolutionem.

Caveamus; nè dum relaxere animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quandam bonorum operum. S. Ambros. Eth. Christi. l. 1. c. 20.

TITULUS IV. REDEMPTIO.

§ I.

Vocatur Iustitia.

Secundum in iudicio redimetur. Isa. 1. 27. Christi redemptio, licet opus fuerit summæ clementiæ, & misericordiæ; hic tamen vocatur iudicium, & iustitia: quia Christus ex iustitia solutò lytrò, putà pretiò sanguinis sui, nos redemit. Cornelius hic.

Non tantum erat peccantium peccatum, quanta pro illis morientis iustitia: non tantum nos peccavimus, quantum ille iustè egit, qui animam pro nobis posuit. S. Cyrill. Jerof. Catech. 13.

§ II.

Redemptio major creatione.

Hæc cum dixisset, insufflavit. Joan. 20. 22. Hæc insufflatio significat novam dignitatem homini concessam. Gen. 2. 7. *inspiravit Deus in faciem Adæ spiraculum vitæ; & factus, est homo in animam viventem.* Nunc verò iterum in hominem sufflavit. Et sicut antea limum in hominem viventem suò flatu mutavit; sic modò eodè Spiritu hominem in Deum certò quodam modò convertit: Deus enim est, qui Spiritu Dei plenus existit. Ex quo

apparet, nos Deo propter redemptionem multò plus, quàm propter creationem, debere. Nam, quia nos creavit, esse hominis quia verò redemit, esse divinum ei debemus: cum ejus gratiæ participes facti simus. Diez. conc. 2. D. in Alb.

Gratias tibi agimus, Jesu Christe, quòd creasti nos: sed creatos feris bestiis, mutis animantibus, præfecisti. Majora sunt visitationis tuæ munera. Visitatos majestatis tuæ consortiis honorasti, dicens: *narrabo nomen tuum fratribus meis.* Ps. 21. 23. Susceptò enim corpore frater es factus; nec Dominus esse desisti. S. Ambros. octon. 20. in Ps. 118. Vide humilitatem meam &c.

Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia. At verò per totos triginta annos operatus est salutem in medio terræ. S. Bernard. f. 9. in Cant.

Urget ratio, & iustitia naturalis, ut totum me per amorem tradam tibi, à quo me totum habeo. Et si totum me debeo tibi, quia me fecisti; ad magis amandum sum obligatus, quia me refecisti: nec tam facile me refecisti, quàm fecisti. Nam semel dicendo me fecisti, sed reficiendo, & dixisti multa, & gessisti mira, & pertulisti dura: nec tantum dura, sed indigna. S. Idiota de am. div. c. 10.

Yyy 3

§. III.

§. III.

*Redemptio beneficium maximum,
opus Dei.*

Quinquagesies, neclapius, minusve, repetitur in Scriptura Sacra mentio liberationis, & egressionis filiorum Israel ex Aegypto. Ad denotandum verum Jubilaeum nostrum sive Pentecosten, in quo Spiritus Sanctus diffunditur; sed non sine praviâ, frequentiq; redemptionis nostrae recordatione, atque gratiarum actione. Doultreman de am. l. 1. c. 3. Sect. 10.

Dominare nostri tu, & filius tuus, & filius filij tui: quia liberasti nos de manu Madian. Judic. 8. 22. In illo, & unico, conflictu, Gedeon ne guttam quidem sanguinis effudit; nec vulnus ullum, aut ictum, accepit. Et tamen adeo grati sunt filii Israel: ut ei, filioque, & nepoti, subiciant. Quid nos superno Duci nostro facere debemus; qui tot, tantisque, expensis nos liberavit &c. Diez. fer. 4. D. 2. Quadr.

Domine opus tuum. Habac. 3. 2. Opus intelligit liberationis Judaeorum à Babylone: & mysticè redemptionis generis humani è captivitate Diaboli, & peccati, per Christum. Cornelius hic.

Fecit potentiam in brachio suo. Luc. 1. 51. Ea, quæ exiguas vires requirunt, digito solemus efficere: ut si palea ex humo tollenda est, digitis tollitur; trabs verò brachiò, ob pondus, tollenda est. Cætera omnia opera DEI, comparata operi redemptionis, vocantur exigua. Et ideo de David: quoniam videbo coelos, opera di-

gitorum tuorum, lunam, & stellas; quæ tu fundasti. Pl. 8. 4. At redemptionis opus ait sanctissima Virgo brachii divini opus fuisse. Diez. conc. 1. de Incarn. D.

Recogitate eum, qui talem sustinuit &c. Hebr. 12. 3. Quantum sit redemptionis beneficium, non potest in hac vita penitus cognosci. Nam ad hoc beneficium plenè cognoscendum, oportet intelligere, quid nobis propter id datum fuerit: scilicet coelestis beatitudo, & liberatio ab Inferno. Quibus igitur oculis Electi sanctissima illa Christi vulnera respicient, è quibus tanta illis bona profluxerunt. Diez. in Pass. Dom.

Miscellanea.

Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Matth. 9. 6. S. Hilarius Can. 7. in Matth. ait tribus illis verbis, *surge, tolle lectum, vade*, denotari totam redemptionem per Christum factam. *Surge* significat remissionem peccatorum per gratiam: *tolle lectum tuum*, corporum resurrectionem: per eam enim homo iterum reassumit carnem suam; quæ jam non est nota infirmitatis, sed signum perennis salutis. *Vade in domum tuam*, ingressum in regnum coelorum. Sylveira hic.

Quibus modis mors in seculum venerat, iisdem modis vita seculo pervenit. Lignum enim per Adam operatum est mortem; lignum per Christum operatum est vitam: & quem Diabolus persuadendo dejecit, eum Dominus liberando salvavit. S. Chrysost. f. de interdictione arboris ad Adam.

TITULUS V. REGNA.

§. I.

*Regnum Christi Domini.
Ex Veteri, & Novo.*

Parvulus natus est nobis. Isa. 9. 6. factus est principatus ejus super humerum ejus. Clementissimus Princeps regnum suum super humerum gestat. S. Thom. Vill. f. de S. Steph.

Adveniat Regnum tuum. Matth. 6. 10. Regnat in terra cupiditas, caro, mundus, diabolus: cupimus in homine Deum regnare; & propterea *adveniat regnum tuum*, ad destructionem horum regnorum. Quantum enim in nobis regnat avaritia, aut luxuria, aut quodvis aliud vitium; tantum subtrahitur regno Dei in terra. Cajetanus hic. O venerabilis ordo regni Dei! ô rationabilis, & opportuna, consolatio regis Dei! Non venit hoc regnum cum festinatione; quemadmodum regnum hujus mundi; de quo rectissime dictum sit: *hereditas, ad quam festinatur in principio, in novissimis suis benedictione carebit.* Prov. 20. 21. S. Rupertus in Ezech. c. 1.

Simile est regnum caelorum grano sinapis. Matth. 13. Regnum Nabuchodonosoris comparatur arbori magnæ: regnum Alexandri Ce-

dro magnæ: Romanorum regnum monti: Christi verò regnum, quod universa illa comminuit, grano Sinapis. Oforius D. 6. Epiph.

Regnabit in domo Jacob. Luc. 1. 32. Cur non dixit regnabit in domo Abraham, aut Isaac? si Abraham, & Isaac, Patres Domini vocantur, &c. Salmeron: non in domo Abraham, in qua Ismaël pugnat cum Isaac: nec in domo Isaac, ubi Esau persequitur Jacob: sed in domo Jacob, quæ cæteris sanctior. Escobar t. 3. Coll. Chr. t. 3. l. 9. Sect. 1. Obs. 2. Super omnes, beatos, & reprobos, aquâ, & unâ, potestate regnabit: beatificè super bonos; horrendè atque terribiliter, super malos; tam æternè, quàm æternus est Deus; ut infinitati infinitas nulla succedat. Sim. Cass. l. 2. c. 6. Cur in domo Jacob? non Abraham, aut Isaac? Primò in domo Abraham duo nati sunt filij: unus tantum scilicet promissionis obtinuit benedictionem. In domo Isaac duos peperit Rebecca; unus tantum afsecutus est benedictionem. At in domo Jacob duodecim progeniti filij, & omnes propriis benedictionibus dirati sunt à patre. Gen. 41. 1. &c. In hac ergo domo præfiguratur regnum Christi; cujus dona non unus, vel alter possidet, sed ad omnes se extendunt. Secundò, Jacob moriturus transpositis manibus benedixit nepotibus